








colorchecker CLASSIC


+



x-rite

mm

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20  
(cm)



A. T. L. I.  
Girardi  
Rouilli  
Mattei uis  
Gambari  
Ptolomei  
Prolegomeni  
Iuridica

3.

426

i  
di  
lli  
use;  
sar;  
pu'i  
men  
dica

n° 272

XV<sup>e</sup> Siècle. N° ~~272~~ - 726


La dernière pièce seule  
est incunable.

Table des ouvrages contenus

Dans ce Recueil

- 1<sup>o</sup>. Joannis de Spelli methodica dialectica ratio ad Juris prudentiam accomodata. pag. 1.
- 2<sup>o</sup>. Caroli Girardus castilionensis de Juris voluntariis repurgandis. pag. 63.
- 3<sup>o</sup>. Guillermi le Rouille et Alenconiensis justitiae et iuris scriptorum compendium. pag. 67.
- 4<sup>o</sup>. Claudi Mallevali definitionum Civilium liber pag. 125.
- 5<sup>o</sup>. Laurentii Claricini Gambari in iuris institutione propositio &c. pag. 145.
- 6<sup>o</sup>. Iudicium expositio praemii institutionum Civilium qua primam Republice quasi formam expressit pag. 165.
- 7<sup>o</sup>. Claudi Stolmoxi Senensis De corruptis verbis iuris Civilium dialogus. pag. 176.
- 8<sup>o</sup>. Cabula abbreviatio arum pag. 190.





LAVRENTII CLARI  
CINI GAMBARI IN IVRIS  
institutiones Præfatio.

CVI ACCESSERVNT

Capita quædam, quæ perpendi debent ante  
legitimam institutionum iuris  
declarationem.

VIRTVTE

A P P E C T U S

S V P E R A N T V R .



BONONIAE, APVD ANSELMVM  
Giaccarellum, M D L.

LA-VERENTII CLA-RP  
CINI-GAMBARIJN IAVRIS  
IUGITINORUM ET ALIUM  
CAI AGEBRANT

VIRATUTA

EDIDICIT  
M. C. M. C.  
M. C. M. C.

BONINIANA AVAD ANTEIUM  
Ecclesiasticis M. D. M.



# ILLVSTRISSIMO INNO.

centio de Monte felicitatem perpetuam

Laurentius Claricinus Gamba.

rus, D.



TE ter<sup>q</sup> quater<sup>q</sup> felicem Illu-  
striſſime Innocenti, cui præter na-  
turam eximiam & Illustrem con-  
tigerit, ut Iulio III. Pont. Opt.  
& post hominum memoriam maxi-  
mo ita charus ac iucundus sis, ut ab  
eo diuitias, honores, magistratus, cæteraq; bona gene-  
ris eiusdem, & postulare, et expectare possis. Neq; hæc  
externa bona, quæ uelut organa sunt ad benè beatęq; ui-  
uendum, tibi, ut plerisq; sero contigerunt, sed mature, quo  
sanè nomine mihi fortunatior uideris. Cæterū, quoniam  
beatitudinis circulus, iuxta Peripateticorum sententiam,  
quæ ad communem hominum sensum, pariter ac uitam ma-  
gis congruere putatur, absolui nequit, nisi tres bonorum  
ordines inter seſe consentiant, sibiq; mutuis præſidijs fa-  
mulentur, ad amplitudinis tuæ absolutionem perfectio-  
nemq; (meo quidem iudicio) unicum ſtudium, unica cura  
deſſe uidetur, ut id quod facis, facias, animi decora tibi  
pares iſtius fortunæ magnitudine digna. In quā rem toto  
animo, & ſtudio omni tibi incumbendum eſt, quia hæc  
animi bona, quæ uerifime & maxime bona nominamus,  
neq; in Naturæ fauore, neq; in fortunæ indulgentia poſi-

ta sunt, sed nostra solum cura, nostraq; parantur indu-  
stria. Monarchæ autem & Satrapæ possunt imponere  
Diadema, sed ijdem mentem Rege dignam addere non  
possunt. Rursus generis claritas, aut populi fauor impe-  
rium dare potest, pectus uero Imperio dignum non po-  
test, & tamen hæc si desint, qui mandarunt honorem, sar-  
cinam addidisse uidentur, non dignitatem. Nam ita de-  
mum admiranda quædam & eximia dignitas exoritur,  
si naturæ fortunæq; bona uirtutibus honestentur, Ma-  
xime itaq; uellem Innocenti Illustrissime etiam atq; etiā  
cogites eum te in locum concessu & munere Deorum es-  
se deductū, ut Decus, Immortalitas, Imperiū, Opes, Di-  
gnitas, Felicitas in manu tua sint, modò tibi ipsi nō defue-  
ris. Non deeris autem, si nihil tibi magis expetendum in  
uita, quam uirtutem, & abstinentiam, & studium ueræ  
sapientiæ duxeris, quam quidem ad rem te sçepenumero  
pro mea in te obseruantia & cultu uarijs argumētis hor-  
tatus sum, nimirum intelligens ad absoluendum amplitu-  
dinis tuæ ornatum nihil aliud defuturum, quam uirtutem  
ipsam, quæ per se laudabilis est, & sine qua nihil laudari  
potest. Nec hoc meo qualicunq; officio, quo nimio quo-  
dam in te amore usus sum (scis enim eiusdem hominis nō  
esse pudere simul & amare) contentus fui, sed in tui gra-  
tiam libellum quendam scripsi, quo ueluti instrumento tu  
nihil aliud fortasse, in hac præsertim ætate congruentius  
aut aptius habere poteris ad ciuilem disciplinam adipiscē-  
dam. Huic libello extremam (quod aiunt) manum breui-

3

imponam, si rem tibi minimè ingratam me facturum sen-  
sero, Interim receptam consuetudinem secutus, qua solent  
homines hoc resurrectionis Dominicæ festo munuscula  
quæpiam missitare, quæ nescio quid lætioris ominis affer-  
re creduntur illis ad quos mittuntur, Præfationem quan-  
dā in iuris institutiones, quā superiori. Autumno lucubra-  
ui, ad te mittere decreui. Puta hanc esse munus aliquod  
cerasaceum, Adieci capita quædam, quæ perpendi de-  
bent ante legitimam institutionum iuris declarationem.  
Puta hæc esse mala cydonia ex pauperis quidem, sed ta-  
mè tibi semper addicti, dediti, atq; obstricti hominis hor-  
to selecta. Sint autem hæc rusticana munuscula, tan-  
tisper mei in te animi qualecunq; documētum, dum  
dabitur aliud utriq; nostrum dignius. Iam Vale  
feliciter, Valebis autem feliciter, si in civilis  
scientiae studio perpetuum uitæ tuæ domi-  
ciliū constitueris. Hoc enim si feceris  
quod te facturum confido, rem te, id  
est, Principe dignā feceris, tuiq;  
studiosis, inter quos ego uel  
primas profiteor, immorta-  
le gaudium attuleris.

Bononiae Non.

April.  
M D. L.



# PRAEFATIO LAVENTII

Claricini Gambari, cùm Iuris In-  
stitutiones domi cæpit

prælegere Mense

Octobri

Anno M. D. XLIX.



N. More institutoqz nobilissi-  
mæ Bononiæs Academiæ po-  
situm est, ut studiosi singulis an-  
nis de legum laudibus & digni-  
tate admoneantur, & sicut in  
ipsis bellorum congressibus so-  
no tubæ equi ad bellum animantur, sic præcepto-  
ris uoce candidati ipsi ad germani Iuris, ueræqz  
Iustitiæ cognitionem accendantur. Quid enim  
est dignius Iureconsultis, præsertim ijs, qui docen-  
di munus suscepérunt, quām ante omnia de ipsis  
legibus aliquid dicere, eisqz iustum & debitam lau-  
dē tribuere, sine quibus nec domus ulla, nec ciui-  
tas, nec gens, nec hominum uniuersum genus sta-  
re, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus po-  
test? aut quid rursus bonis ingenij conductibilius  
esse potest, quām huiusmodi conciones? Nunc ue-  
rò & si Institutum hoc magnopere probem, ta-  
men quoniam uisum est pauorem pestis animos  
hominum intrasse, placet uos potius breuiter ad-

P R A E F A T I O I N

monere, ut animum uestrum aduersus istos terrores in primis obfirmetis, uosq; ita comparetis, ut nihil mali uobis euenire posse existimetis, si iustitiam colueritis, quæ, si mortem uos ægræferre animaduerteret, dupliciter uos esse iniustos diceret, quum & alienū appeteretis, qui mortales nati, conditionem postularetis immortalium, & grauiter ferretis uos, quod utendum acceperitis, redidisse. Non est igitur recusandum quominus ea, qua nati estis, conditione uiuatis, atq; eo magis quòd præsidia uobis uolētibus defutura nō sunt, eaq; facillima, & in uobis sita. Nā inter alia aderūt fidentia despicientiacq;, quarum altera uiires, atq; animos ubiq; suggeret. Altera autem mala omnia contemnenda suadebit, cunctaq; præter uirtutem pro nihilo ducenda monebit.

Omnem itaq; pauorem ex animis uestris pellite ac C. Cæsarem uobis imitandum proponite, & quemadmodum ipse, ut est apud Lucanum, inter arma, tubas, & classica humana omnia inferiora esse uirtute existimauit, atq; ideo bonis studijs semper uacauit, sic uos decet inter hos inanes rumores cohibere motus animi turbatos, & existimare nihil magis uobis expetendum esse, quam uirtutem ipsam, ex qua honestæ uoluntates, sententiae, omnisq; recta actio proficiscuntur.

Hæc præfatus, dicendum est, cur in præsentia iu  
ris

ris institutiones interpretadas suscepserim, & qua  
ratione id facere instituerim.

Summi quidam uiri & clarissimi ciues petierūt  
a me & pluribus uerbis rogauerunt, ut aliquid tē-  
poris clientibus meis surriperem, illudq̄ in exer-  
cendis eorum filijs in ciuili disciplina consume-  
rem. Ego uero quamuis bene de his optimis &  
amicissimis hominibus mereri cuperem, princi-  
pio tamen mihi in animum inducere non poterā,  
ut eorum precibus cederem. Porro causa quam-  
obrem id nō facerem ea est, quod ipsi exigebant  
a me, ut ab iuris institutionum interpretatione  
initium facerem. Nam neq; æquum, neq; admo-  
dum facile uidebatur memet iam agendis in foro  
causis assuetum ad iuris institutiones siue clemen-  
ta reuocare. Verū cum hi rogandi finem non fa-  
cerent, uitum est mihi uehementer inhumanum  
esse, summorum uirorum ac clarissimorum ciuiū  
uoluntati morem non gerere, atq; ideo decreui  
ad hæc iuris rudimenta paulisper animum reuoca-  
re ac demittere.

Quòd igitur uobis ac uniuersæ Reip. faustum,  
felixq; sit, dabo operam, si modo assequi potero,  
ut simplici oratione, & ea quidem expedita, iuris  
Institutiones, quas Iustinianus sacratissimus Prin-  
ceps primum locum in legali studio sibi uendica-  
re uoluit, apertissimè, & planissimè uobis explicē

P R A E F A T I O N

neglectis interim ijs , ex quibus aut nulla aut per quam exigua utilitas ad uos redire possit , atq; in his Iuris Institutionibus exponendis & interpre- tандis curabo, quantum fieri poterit, ut Iuris ciui- lis artem non modo in animis uestris , sed etiam in oculis, conspectuq; uestro exponam . Præterea Institutiones ipsas in breues conclusiones, quas Iu- ris Interpretes notabilia, aliqui epitomas, nonnul- li enunciata siue axiomata uocant, redigam , quo uoluptate aliqua, aut certe minori labore discere, & facilius diutiusq; elementa ista memoria tenere ualeatis . Hæc enim conclusiones Indicis uice eorū omnium , quæ à Iustiniano in his institutionibus dicta, & precepta sunt, esse poterunt. Quare labor hic noster non incipientibus tantum , uerū & in arte prouectioribus, mea quidem sententia, fru- gifer, fructuosusq; futurus est, & si Dijs placet, etiā uoluptuosus , siquidem , Aristotele authore , illa, quæ intelligentiam nobis facile pariunt, iucundis simè audiuntur .

Hæc sunt adolescentes optimi , quæ hoc anno, quando præ negotiorum multitudine, quibus di- strahor, publicè non licet, intra domesticos parie- tes ea fide & diligentia traditurus sum, ut sperem posse percipi atq; intelligi . Sed antequam ea tra- dam , ex Iustiniani sententia scire uos uolo, Iuue- nes, oportere prius animas, & postea linguas fieri

eruditas, quare principio uobis adnitendum omnibus uiribus erit, ut animum uestrum uitijs, & prauis affectibus exutum curetis.

Deinde, quoniam Iurisprudentia neq; uult contemni alias bonas disciplinas, neq; percipi sine magna scientia multarum aliarum facultatum potest, uos hortor, moneoq; Adolescentes optimi, ne ante ad Iurisprudentiam comparandam ingrediamini, quam bonas artes, & praesertim Arithmeticam, Dialecticam, & moralem (quam appellant) philosophiam degustaueritis.

Etenim quantū Iurisconsulto euenturū sit boni, si Arithmeticā Iuris ciuilis studio tanquam ancilla adiūgatur, In oratione, de laudibus, & utilitatibus Arithmeticæ satis superq;, ni fallor, ostēdi.

Dialectica uero ea est (Cic. teste) quæ per omnes partes sapientiæ manat & funditur, quæ rem definit, genera dispergit, sequentia adiungit, perfecta cōcludit, uera & falsa dijudicat, dislerēdi ratio & scientia. Ex qua cum summa utilitas existit ad omnes res ponderandas, tum maximè ingenua delectatio, & digna sapientia. Hāc eadem & Aristoteles omnium sciētiarum uelut quoddam organum appellat, quippe quod nemo sine eo Instrumento ad ullam sciētiā possit accedere. Quare, quid obsecro sine ea siue publicè, siue priuatim Ius professuri sitis, res obscuras & intricatas, quæ

P R A E F A T I O I N

in Iure nostro infinitæ sunt, iudicare speretis? aut graues controuersias explicare? Arbitror itaq; uo bis omnino istac quoq; opus esse ad rem, quam paramus arte.

Philosophiam insuper & illa ratione nobis no-  
uisse expedit, quod leges, quæ nuda Magistratuū  
præcepta continent, neq; causas, neq; rationes ple-  
runq; subiiciunt. Philosophia autem demonstra-  
tiones causasue', quæ præceptis à natura posita  
sunt, diligenter inquirit, deq; his omnibus consul-  
tare solet. Quocirca, si Ciceroni credimus, Iuris ci-  
uilis disciplina ex intima philosophia hauriēda ē,  
quæ quidem philosophia, & hoc nomine magis  
prodest, quod non breui dicto perinde atq; leges  
rē ipsam cōcludit, atq; præfinit. Verū longa illius  
tractatio tū in præuestigādis rerū causis, tū in cō-  
siderando naturæ ordine, tum in cōtēplāda uirtu-  
tis pulchritudine, mirum in modum studiosorū  
animos ad uirtutem amplectēdam allicit, & exci-  
tat, eosq; ita mites efficit, ut hic iure optimo uer-  
bum illud, Studia abeunt in mores, citari possit.

Cæterū, non existimetis me summam in uo-  
bis philosophiam, Dialecticam, Arithmeticamq;  
desiderare, sed in huiusmodi artibus uos eatenus  
progredi debere existimo, quatenus ex eis, si quan-  
do usu uenerit, quicquid in tractatione Iuris, aut  
administranda Repubilca propositum fuerit, uel

iudicare, uel probare facile possitis, & ualeatis.

Indicaui uobis ea, quæ hoc anno ( si diuina fauerint) priuatim tractaturus sum, Deinde admonui uos de Iustiniani præcepto, quo iubemur ad Iuris artem prophanis animis accedendum non esse. Deniq; uos breuiter hortatus sum ad eas artes degustandas, sine quarum notitia nemo plenus & absolutus Iurisconsultus esse potest.

Vos autem si Iurisprudentiæ, qua nihil melius, neq; pulchrius, neq; maius rebus humanis diuinatus contigit, quæ & rei amplificandæ compendia ria uia est, & tantum oblectationis subministrat, quantum humanus animus capere potest, admiratione atq; amore tenemini, profectò toto pectore complecti debetis Iuris Institutiones, quæ & per se multum habent dignitatis utilitatisq;, & aditū patefaciunt ad Iurisprudentiam capescendam, in quam quidem Iurisprudentiam si omni cura incubueritis, certum est non fore irritos labores uestrós, sed salutares uobis & alijs, quippe quod Iurisprudentia ea est, quæ nobis decus, gloriam, auctoritatem, opesq; conciliat, quaq; nos uicissim amicis, patriæ, atq; adeo mortalium generi, non mediocrem utilitatem affere possumus, quo nihil potest homini melius, aut glorioſus contingere. Precor ut Deus Opt. Max. studia uestra bene fortunet, uosq; omnes incolumes seruet.

CAPITA, QVAE PERPENDI DE  
bent ante legitimam institutionum  
iuris declarationem.

*Prefatio causam cōtinens, quam obre institutionū argumen-  
tum eo quo sit, modo explicetur.*

**M**OS antiquus ad hanc usq; diem mā  
sit, ut quicunq; aliorum scripta enar-  
randa suscipiunt, ijdem ferē omnes  
in initio cuiusq; operis nonnulla dili-  
genter quærere soleant, non ut ipsi quicquam ad-  
didisse uideantur, sed solum attentiores, & docilio-  
res ut reddantur ij, qui legunt, qui ue audiunt. Ea  
uero sunt huiusmodi. Propositum in ea scriptione  
authoris. Ut ilitas rerum, quæ illic continentur.  
Cur eum indicem opus habeat. An legitimū  
sit. Diuisio eius in capita, partesq;. Necnon ad quā  
potissimum philosophiæ partem pertineat. Qua-  
re ego, qui Iuris ciuilis Institutiones interpretan-  
das suscepi, morē ingeniosorū eruditorumq; ho-  
minū secutus, antequām ea dicere exordiar, quæ  
suscepti à nobis operis propria esse uidētur, ipsa-  
rū Institutionū argumētū hoc ordine exponam.

*Quæ in exponendo institutionum argumento obseruabun-  
tur, & quibus rationibus.*

**I**N primis, qua mente quaq; ratione Institutio-  
nes scriptæ fuerint, paucis ostendam. Nam, ut

Amonius ait , si quis propositum , siue scribentis intentionem ignorarit , pigrescat , medioque in cursu stabit , ueluti is , qui eo proficiscitur quo nescit .

Deinde , quia in tractatione literarum , insania est attingere Authorem , qui nostris studijs nihil feneret , studiosos commonefaciam de fructu ; quem ex Iuris ciuilis Institutionibus petere nos conueniat .

Adijciam insuper quam uim habeat hic titulus , Institutiones , propterea quod ex titulo quoque Authoris intentio deprehendi solet . Fertur autem Plinium existimasse , scriptorem oportere titulum Instituti operis saepe legere , seque identidem interrogare , quid cæperit scribere , quia uidebat multos argumenti oblitos non immorari inchoatae materiae .

Ere quoque studiosorum esse futurum arbitror in initio ipsos admonere , ne clausis , quod dici solet , oculis omnem librum accipiant , qui elegantem inscriptionem præ se ferat , sed Medicorum potius consuetudinem imitentur , quibus non satis est titulus , quem Pyxides præ se ferunt , Verum olfacti tractant , degustant , & modis omnibus explorant , ne forte decepti Inscriptione , Venenum accipiant pro remedio , lutum pro unguento , Quo circa uidebimus , num haec Institutiones Iustiniano falso adscriptæ fuerint .

Mox , cum nulla res sine diuisione dilucidè & perspicuè explicari possit , Institutiones ipsas in partes diuidam , & tanquam animantis alicuius in sua membra breui dissecabo .

Postremò , ad quam philosophiæ partem Iuris ciuilis Institutiones referri debeant Indicabo , sic enim fiet , ut ubi maximè Institutiones ipsæ conseruant , optimè cognoscatur .

*Qua mente, quaq; ratione institutiones scriptæ fuerint.*

**C**VR hunc ordinem obseruare decreuerim dictum est , nunc autem ea exponenda sunt , quæ ad argumenti Institutionum explicationem pertinent , & uidendum in primis est consilium Iustiniani , & quid propositum in animo haberet , cū hosce quatuor Institutionum libros componere iussit . Id quod ex proœmio Pandectarum , & alijs plerisq; locis erui , intelligiç manifestò licet . Postea autem quam Iustinianus omnia ea , quæ ex antiquo Iure penè toto per contrarias Interpretantium sententias conturbato probanda uiderentur , in quinquaginta digestorum siue Pandectarum libros , & in alterum uolumen , quod Codex inscriptum est , redigi curauit , existimans se propterea non satisfecisse omnibus , nisi pro facilitiori Iuuenum eruditione planam quandam uiam & ad Ingrediendum expeditam iuris artem cupiēti bus

bus præstrueret, mandauit Triboniano gloriōſiſſimo magistro, & exquæſtoribus ſacri Palatij, nec non Theophilo, Dorotheoq; uiris Iuſtib; & Anteceſſoribus, ut has Iuris ciuilis Institutiones componerent, quæ totius legalis disciplinæ priuilegiis elementa, & ex quibus iuri operam daturi citra fastidium, magnumq; laborem Iuris ciuilis artem summatim & per compendium haurire ac percipere queant.

*De fructu, quem ex Iuris Institutionibus petere  
re nos conueniat.*

**C**VM permagni interſit diſcentium, ſi is, qui rudes diſcipulos, atque adhuc integros, erudiendos, ac inſtituendos fuſcipit, nihil priuſ faciem dum ſibi proponat, quam ut ab initio ſcientiae, qua de agitur, principia doceat & explanet ( ex hoc enim tanquam rei ipſius ſeminario extrema quæ alioquin cognitu diſſicilia erant, facile inteligi poſſunt ) quis non digniſſimas lectione iudicare queat Institutiones has, quibus clari illi, præſtantefq; Viri ex Iuſtiniani præcepto quicquid de personis, rebus, & actionib; ad Pandectarum, & Codicis Interpretationem neceſſarium Tyronibus uidebatur, miro compendio artificioq; complexi ſunt? Ego uero etiam ſaþe relegendas, & ad uerbum edifcendas cenſeo. Et diligentiam hanc ma-

621  
ximè profuturam arbitror, quia plusquam dimidium Iurisprudentiæ tenet is, qui in his Institutio nibus mediocriter exercitatus est.

*De institutionum ciuilium titulo.*

**A**C de præcipua Institutionum authoris intētione, & de utilitate, quæ ex ipsarum Institutionum lectione prouentura sit, hactenus. Nunc quod conlequens est, considerandum est, quā uim habeat operis titulus. Institutiones itaq; definito re Valla, sunt præceptiones, quibus aliqua re insti tuuntur & docentur homines, ut libri à Quintilia no, ac Lactantio, multisq; alijs authoribus inscripti de Institutione oratoria, siue alio nomine atq; materia, sed Institutiones Iurisconsultis sunt præceptiones illæ, quibus prima uestigia cuiusq; scientiæ mediocriter traduntur, quare Institutiones hoc loco pro instructione totius legalis scientiæ prima uestigia continentे accipi debere, Iustinianus noster author est, qui præterquā quòd dicat eas uniuersi iuris fundamenta atq; elementa esse, confirmat etiam in eis breuiter exponi, quid olim priscis iuris authoribus placuerit, quid deinde usu cōtrario in dissuetudinē uelut obliteratū abie rit, quidq; rursus à Principibus, rerum uicissitudi-nes considerantibus, in lucem ac forum sit reuocatum.

*Institutiones ciuiles, an Iustiniano falso*

*adscriptæ fuerint.*

**H**AS autem Institutiones non fuisse Iustiniano falso adscriptas testimonio ipsius, multo rumq; doctissimorum hominum ita confirmari potest, ut longiori disputatione opus non sit, Quare pergamus ad aliud, ac de dispositione, & harū Institutionum æconomia breuiter uideamus.

*Quid in Iuris Institutionibus tradatur, ex*

*quo ordine.*

**S**Equitur, ut quid in his Iuris Institutionibus tradatur, & quo ordine, sumatim uideamus. Sed si prius Intellexerimus, Iustinianum in his iuris Institutionibus edendis illas primum constitutione quadam sua confirmasse, approbasseq; Deinde tyrones ad Iurisprudentiæ studium ab utili, & honesto animasse.

Quoniā igitur cōstat magnā uim habere ad mores emendandos, auctoritatemq; legibus acquirendam proœmia legum, quæ appellant, Principio proœmij loco Iustitiæ & Iurisprudētiæ descriptio traditur.

Secundo loco commendatur methodus, qua primum facili ac simplici uia, post deinde exactissima, diligentissimaq; Interpretatione singula explicantur.

Tertio autem loco, docemur tria iuris esse præcepta, ad quæ, quicquid in Iure ciuili cautum, responsum, constitutum est, omnino referri solet, nempe hæc, Honestè uiuere, Alterum nō lādere, Ius suum cuiq; tribuere.

Post hæc, Iuris diuisione adhibita, aliud esse Ius publicum traditur, aliud Ius priuatum. Et quid sit Ius publicum, quidue priuatum paucis exponitur.

Tum, ommissa iuris publici tractatione, quoniā Ius priuatum ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut ciuili constat, harum Iuris priuati partiū explicatio subiicitur.

Rursus, priuatum Ius in scriptum, & non scriptū diuiditur, Dein, singulæ Iuris scripti partes, quæ quidē sunt hæc, Lex, Plebiscita, Senatus consulta, Principum Placita, Magistratum edicta, & Responsa Prudentum descriptionibus explicitantur.

Deinceps, altera Iuris species, quæ ex non scripto constat, qualis sit, ostenditur. Subiiciturq; præterea ratio quamobrem Ius ciuile in duas species distributum fuerit.

Exin, Ius naturale Immutabile esse, Ius autem ciuile sæpe mutari solere, uel tacito populi consensu uel alia lata lege breuiter indicatur.

Postremo, ut ij, qui ad Iurisprudentiæ uiam affestarent, quasi ante cognoscerent quibus de rebus agendum esset, omnem non modo Institutionū,

155

sed etiam uniuersi Iuris materiam in personarū, rerum, & actionum tractationē consumi dicitur, deq̄ his tribus præcipuis locis omnium disputacionum iuris ciuilis separatim differendum proponitur.

Atq̄ hæc in summa sunt ea ferè omnia, quæ cū in titulo de Iustitia & Iure, tum in titulo de Iure naturali, gentium, & ciuili planè, ac dilucidè procœmij loco Iuuentuti traduntur.

His ita positis, longum esset si diuisiones omnes, ac definitiones personarum, rerum, & actionum, quæ in his Institutionibus continentur, percurere uellem, quare breuitati consulens harum rerū obseruationem prætermittam, præsertim quod magis idoneo loco de his omnibus differendum est. Tantum uisum est nunc recensere Institutio-  
nū titulos prout unicuiq; Iuris parti subiiciuntur, quo fusa partibus res lateq; patens, in angustum redigatur, ac sub conspectum unū omnis detur.

Rubrica omnes prime Institutionum partis.

- T**racatio igitur de Iure personarum, extat in titulis, quos iam subiçiam.
- , De Iure personarum.
  - , De Ingenuis.
  - , De libertinis.
  - , Quibus ex causis manumittere non licet.

- „ De lege Fusia Caninia tollenda .
- „ De ijs qui sunt sui , uel alieni Iuris .
- „ De Patria potestate : ol aiue par dura tis
- „ De Nuptijs . lib minis qd alli in a
- „ De Adoptionibus.
- „ Quibus modis ius patriæ potestatis soluitur .
- „ De Tutelis .
- „ Qui testamento tutores dari possunt .
- „ De legitima agnatorum tutela .
- „ De capitis diminutione .
- „ De legitima patronorum tutela .
- „ De legitima parentum tutela .
- „ De fiduciaria tutela .
- „ De Attiliano tutori , & eo qui ex lege Julia & Titia dabatur .
- „ De autoritate tutorum .
- „ Quibus modis tutela finitur .
- „ De Curatoribus .
- „ De Satisfactione tutorum uel curatorum .
- „ De excusationibus tutorum uel curatorum .
- „ De suspe&tis Tutoribus uel curatoribus ,

Rubrica omnes secundæ Institutionum partis .

**T** ituli autem continent alteram Iuris partē ,  
id est , rerum tractationem sunt hi .  
„ De rerū diuisione , & acquirēdo ipsarū dominio  
„ De rebus corporalibus , & incorporalibus .

- ” De seruitutibus rusticorum prædiorum.
- ” De Vſufructu.
- ” De Vſu & habitatione.
- ” De Vſucaptionibus, & longi tēporis præscriptiōnibus.
- ” De donationibus.
- ” Quibus alienare licet uel non.
- ” Per quas personas nobis acquiritur.
- ” De testamentis ordinandis,
- ” De militari testamento.
- ” Quibus non est permīssum facere testamentū.
- ” De exhæredatione liberorum.
- ” De hæredibus Instituendis.
- ” De uulgari substitutione.
- ” De pupillari substitutione.
- ” Quibus modis testamenta infirmentur.
- ” De Inofficioſo testamento.
- ” De hæredum qualitate & differentia.
- ” De legatis.
- ” De ademptione legatorum.
- ” De lege Falcidia.
- ” De fideicommissarijs hæreditatibus: & ad S. C. Trebellianum.
- ” De singulis rebus per fideicommissum relictis.
- ” De Codicillis.
- ” De hæreditatibus quæ ab intestato deferūtur.
- ” De Légitima agnatorum successione.

- „ De Senatusconsulto Tertulliano.  
„ De Senatusconsulto Orficiano.  
„ De successione cognatorum.  
„ De gradibus cognationum.  
„ De seruili cognatione.  
„ De successione libertorum.  
„ De assignatione libertorum.  
„ De bonorum possessionibus.  
„ De acquisitione per arrogationem.  
„ De eo, cui libertatis causa bona addicuntur.  
„ De successionibus sublatis, quæ siebat per bono  
rum uenditiones, & ex Senatusconsulto Clau  
diano.

Rubricæ omnes tertia Institutionum partis.

P Orro, tertia Iuris pars, quæ actiones cōplecti  
tur atq̄ p̄cedentes eas obligationes, his ti  
tulis absolvitur.

- De obligationibus.  
” Quibus modis re contrahitur obligatio.  
” De Verborum obligationibus.  
” De duobus reis stipulandi & promittendi.  
• De stipulatione seruorum.  
• De diuisione stipulationum.  
” De Inutilibus stipulationibus.  
• De fideiussoribus.  
• De literarum obligatione.

De obli

- ” De obligationibus ex consensu.
- ” De Emptione & ueditione.
- ” De locatione & conductione.
- ” De societate.
- ” De mandato.
- ” De obligationibus, quæ ex quasi contractu na-  
scuntur.
- ” Per quas personas nobis obligatio acquiritur.
- ” Quibus modis tollitur obligatio.
- ” De obligationibus, quæ ex delicto nascuntur.
- ” De ui bonorum raptorum.
- ” De lege Aquilia.
- ” De Iniuriis.
- ” De obligationib<sup>9</sup> quæ ex quasi delicto nascuntur
- ” De actionibus.
- ” Quod cū eo, qui in aliena potestate est, negotiū  
gestum esse dicitur.
- ” De noxalibus actionibus.
- ” Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.
- ” De ijs per quos agere possumus.
- ” De satisfactionibus.
- ” De perpetuis & temporalibus actionibus, & quæ  
ad hæredes & in hæredes transeunt.
- ” De exceptionibus.
- ” De replicationibus.
- ” De Interdictis.
- ” De pœna temerè litigantium.

De officio Iudicis.

De publicis Iudiciis.

Hactenus singulas, quæ in Iuris Institutionibus sunt, rubricas, (sic enim appellant) breui quadam enumeratione ante oculos posui, quo uos ipsarū institutionum materiam facilius animo percipere, & memoria custodire ualeatis.

Philosophiæ diuisio, & ad quam ipsius philosophiæ partem

Iuris Institutiones referri debeant.

**S**Vperest indicare ad quam philosophiæ partē iuris ciuilis Institutiones referri debeant. Fiet autem id non incommode, si quædā paulo altius repetendo à uulgatissima illa philosophiæ diuisio ne inceperimus.

Philosophia itaq; in duas diuiditur partes, quas speculatiuam, & actiuam uocant.

Speculatiua philosophia uniuersas res, & entia, (quæ dicunt) examinat, atq; perpendit, ea porrò triplex est, quandoquidem Physiologiā (sic enim nominant) Theologiam, & Mathematicam complectitur.

Physiologia de Physicis, idest, de naturalibus rebus disputat.

Theologia uero de Methaphysicis, idest, de supernaturalibus tractat.

At Mathematica disciplina quatuor discipli-

nas continet, Arithmeticam, uidelicet: quæ numerandi artem atq; uniuersam numerorum uim explicat, Musicam, quæ sonorum concentus, atq; armoniam discernit, Geometriam, quæ terræ, & alia rerum metiri magnitudinem Instituit, Astrologiam, quæ Cœli, atq; astrorum motus certa naturæ lege inuariabiles esse docet.

Actiua deinde, præcepta totius humanæ uitæ pro sequitur, & hæc trifariam se habet, alia est enim quæ nūcupatur Ethica, alia Oeconomica, alia Politica.

Ethica ad naturam, ad mores, & ad omnem uitæ consuetudinem accommodata est,

Oeconomica, de re familiari agit,

Politica, rationem, atq; prudentiam Reip. gerendæ nobis demonstrat, ostenditq;

<i>Speculativa.</i>	<i>Phisica.</i>	<i>Arithmetica.</i>
	<i>Methaphysica.</i>	<i>Musica.</i>
	<i>Mathematica.</i>	<i>Geometria.</i>
<i>Philosophia.</i>	<i>Ethica.</i>	<i>Astrologia.</i>
	<i>Oeconomica.</i>	
<i>Actiua.</i>	<i>Politica.</i>	

Hæc sunt ea, quæ de ipsius philosophiæ diuisione summatim dicere institui. Nunc autem ad ea quæ ad rem nostram maximè pertinere uidentur ueniamus.

Quum Reip. administratio sit uerus Iurispru-

dentiæ scopus ac finis , non ineptè fortè Iuris ars ad eam tantum philosophiæ partem referri posset , quæ rationem atq; prudentiam Reip. gerendæ cōtinet, sed quoniam ars hæc iuris modo quodam circa cognitionem communiter omnium, quæ ad uitam, atq; mores pertinent, uersatur, eā sub uniuersam moralem philosophiam referre placet . Hæc enim iuris ars non modo docet præcepta de publicis totius ciuitatis moribus, sed & de domesticis , & uniuscuiusq; proprijs, quamquam præceptio de publicis moribus proprium eius artis officium atq; munus est.

Iam quoniam uidimus ad quā philosophiæ partem ars Iuris referenda est , cuiuis facile Iudicare est , quo referendæ sint Institutiones , quæ miro quodam ordine atq; compendio ipsius artis summam continent.

Possem persequi multa alia ad Institutionum argumentum pertinentia, sed hæc, quod ad hunc locū attinet, anotasse pro Instituto nostro satis sit.

*Propositio, per quam dicitur de iuris civilis libris, de q̄s nonnullarum notarum interpretatione paucis agendum eſe.*

**Q** Via nihil tam leue est , quod mihi fastidium afferre possit , si modò id discipulis accommodatum atq; utile futurum sit, Institui aliqua de iuris Romani ordine hoc loco , quam breuissime

potero, præloqui, simulq; uos de abbreviaturis,  
 (quas appellant) quæ passim apud Iuris Interpre-  
 tes dispersæ inueniuntur, præmonere, priusquam  
 ipsius Iuris Institutiones exponam, atq; explicem.  
 Est autem sua etiam studijs (ut ita dicam) Infan-  
 tia atq; pueritia, quæ si negligatur, uix datur ma-  
 ioribus locus, quo circa uelim uos, si meis fidelissi-  
 mis atq; amantissimis consilijs parere statuistis,  
 huc paululū animum aduertere, sic enim fiet spe-  
 ro, ut quod summè optatis, ad leges non nisi para-  
 ti & meditati accedatis.

Vniuersum igitur Ius ciuile in quinq; uolumi-  
 na digestum est, quorum nomina sunt hæc.

Institutiones.

Pandectæ, siue Digesta.

Codex.

Nouellæ cōstitutiōes, quas uulgo  
 Authenticum appellant, Et  
 Liber, quo feudorum leges com-  
 præhenduntur.

*De Pandectis.*

**P**Andectæ siue digesta, summam eorum conti-  
 nent, quæ ab urbe condita usq; ad Iustiniani  
 tempora cauta, edicta, sanctiue, Itemq; à priscis  
 Iureconsultis de Iure responsa fuerant, exceptis ta-  
 men Sacratissimorum Principum constitutioni-

bus. Nam singulorum magistratum siue Iudicū leges, et responsa prudentum in duobus penē mil libis libris conscripta erant. Quare Iustinianus, ut magnum illud Iuris mare, quod etiā per cōtra rias Interpretum sententias cōturbatum erat, ho minibus expositum esset, totam ueterem prudētiām intra quinquaginta librorum numerum redigendam curauit, eumq̄ Codicem Digestorum siue Pandectarum uocabulo nuncupauit.

Pandectæ autē Græcis sunt, quod nos Digesta dicimus, sic dictæ, quod omnes ferē leges capiāt. Inscriptio quidem satis superba est, magnaq; promittit, & digna, Iuxta Plinium in Præfatione naturalis hystoriæ, propter quam uadimonium deseri possit, hoc est, cuius gratia omnia sint post habenda uel maximē seria.

Rursus et illud ignorandum non est, quod in quolibet ex his quinquaginta libris, in quos antiquum Ius digestum est, sunt plures & separati tituli, uulgo rubricæ uocantur. Ita nūcupatæ quod rubro colore depingi soleant. Item sciendum est huiusmodi titulos in plura capita distinctos esse, quæ quidem partes communi uocabulo leges appellantur, & hæ, si plures res complectuntur, in plures quoq; secantur partes, quæ consentiente usu, paragraphi nominantur. Ponuntur autem hi ad separandas res à rebus, quæ inconnexæ concur-

<sup>16</sup>  
runt, quemadmodum in Catalogo loca à locis, re-  
giones à regionibus, in Agone præmia à præmi-  
is separantur.

*De Codice.*

**C**odex Iustinianus, eas præteritorum princi-  
pum atq; ipsius Iustiniani constitutiones con-  
tinet, quas Idem Iustinianus legum uim in futu-  
rum habere uoluit. Codex autem iste partitur in  
duodecim libros, qui subinde & ipsi uarios titu-  
los, leges, paragraphosq; habent. Insuper huic Co-  
dici passim insertæ sunt quædā nouellæ constitu-  
tiones, quæ non leges, sed Authenticae appellan-  
tur, tametsi solum nomine à legibus differant.

*De Institutionibus.*

**I**nstitutiones uero' quas uulgus Imperitorum in-  
stitutam uocat, aditum Iuuuenibus ad Ius ciuile,  
quippe' quæ elementa tradunt, patefaciūt. Porro  
hæ in quatuor libros diuiduntur, in quibus qui-  
dem libris sunt plures & separati tituli, qui deniq;  
in plures secantur paragraphos.

*De Nouellis constitutionibus.*

**P**ost hæc editæ fuerunt nonnullæ constitutio-  
nes, quibus pleræq; leges tam Iurisconsultorū  
quam Imperatorum Codicis corriguntur, atq;

quod extremum est in arte , finisq; huius legalis  
scientiae, id compendiaria uia exhibent, constitu-  
tiones istae, quæ libello, quod Authenticum Inscrit-  
bitur, Includuntur. Hicq; libellus in nouem seca-  
tur partes, collationes appellatas, quarū unaquæ-  
q; in plures & titulos, & paragraphos distingui-  
tur. De authore harum constitutionum apud ma-  
iores nostros s̄epe dubitatum est , quibusdam af-  
firmantibus eas Iustiniani esse , quibusdam uero  
contra . Sed tamen in tam uaria & diuersa dispu-  
tatione receptum est, eas ipsas in foro obseruādas  
esse, quare disquisitio illa per quam queritur, quis  
sit author, non admodum necessaria est.

*De consuetudinibus feudorum.*

**N**Ouissimo loco habemus consuetudines feu-  
dorum, quæ licet , olim iuri ciuili incognitæ  
essent, prudentum tamen moribus receptæ sunt,  
uimq; legis ab ipsa consuetudine obtinuerunt. In  
his enim feudalia sita cernere est . Diuiduntur in  
duos libros continentes sub se plures titulos , qui  
deinde capitibus, & demū paragraphis distingū-  
tur . Huic Codici addere potestis constitutio-  
nes duas Henrici Imperatoris , quæ extrauagan-  
tes nominantur . Item libellum cuius Inscriptio  
est, De pace constantiae.

Cur

*Cura ea librorum Iuris ciuilis diuisio, qua passim  
utimur, facta fuerit.*

**H**O C quoq; loco præterundum non est, omne Ius ciuale à librarijs, ut commodius circūferri possit, aliter quàm ab ipsis iuris authoribus factum fuerit, diuisum esse. Etenim Pandectæ tribus Tomis cōcludūtur, quorū nomina sunt hæc.

Digestum Vetus,

Infortiatum,&

Digestum Nouum.

Quartus uero' Tomus complectitur nouē libros Iustiniani Codicis, et is quidē Codex nominatur.

At reliqui eiusdem Iustiniani Codicis libri, qui sunt tres posteriores, unā cum Institutionibus, Authentico, & feudorum legibus, quinto Includuntur Tomo, cui Volumen est nomen. Quinq; itaq; Tomi sunt, qui Ius ciuale complectuntur, nempe.

Digestum Vetus.

Infortiatum.

Digestum nouum.

Codex,&

Volumen.

*Brevis explicatio abbreviaturarum (ut uocant) quæ apud  
Iuris Interpretes inueniuntur.*

**C**ommodissimè hic explicari possent abbreviaturæ passim in Iure dispersæ, sed ne diutius in

hac præfatione uos remorer, paucas usluti neces-  
farias notas planas faciam, deinde indicabo locos  
ex quibus reliquias per uos Intelligere poteritis,  
cūm libuerit.

Rub.

Rubrica.

I.

lege.

II.

legibus

S.

Paragrapho.

C.

Capitulo.

cle.

Clementina.

Inst.

Institutionibus.

ff.

Digestis. Est autem hic notandum, quod  
ubi aliqua lex ex digestis citatur, tunc omisis il-  
lis dictiōnibus, nempe Digesto Veteri, Infortia-  
to, Digestōne nouo, intra legem allegatam, &  
titulum, in quo sita est dicta lex, apponitur hæc  
nota, ff. uel sine ipsa nota, citata lege statim  
scribimus titulum, in quo reperitur lex.

C.

Codice. Illud quoq; sciendum est, citantem  
aliquam legem, que sit in tribus posterioribus  
libris Codicis, oportere ultra notam, qua Codex  
significatur, apponere aliam particulam, per  
quam liber Codicis Indicetur puta lib. x. xi. aut  
xij. ut si quis legem secundam Codice de conue-  
niendis fisci debitoribus, afferre uelit, is ita scri-  
bet, l. ij. C. de conu. fi. deb. lib. x. sic cūm cita-  
tur aliquod capitulum, quod sit in libro sexto De  
cretalium, eo casu, ultra titulum libri apponitur  
altera ex his particulis, nempe in 6. uel lib. vi.

Aut.

Authentica uel Authentico.

Vsi. feu.

Vsibus feudorum.

libro.

Tit.	Titulo.
Trac.	Tractatu.
Q.	Quæstione.
No.	Noto, siue nota, aut notabili.
I.	Primo.
j.	Infra.
s.	Supra.
d.	Dicto.
eo.	eodem.
prin.	principio.
pe.	penultimo.
fi.	finali.
per to.	per totum.
op.	oppono, uel oppositione.
so.	soluo, uel solutio, aut solutione.
cons.	Consilio.
nu.	numero.
se.	sequenti, uel sequentibus.
plu.	pluribus.
glo.	glossa.
Doct.	Doctores,
Alc.	Alciatus.
Accu.	Accursius.
Abb.	Abbas.
Ang.	Angelus.
Baldui.	Balduinus.
Bar.	Bartolus.

Bal.	Baldus.
Can.	Canciuncula,
Dec.	Decius.
Fel.	Felinus.
Fab.	Faber.
Ferret.	Ferretus.
Mont.	Montanus.
Old.	Oldendorpius.
Por.	Portius.
Zas.	Zasius.

Explicationes has ferè omnes ex libello, qui modus legendi in utroq; Iure dicitur, sumpsi. reliquias uero notas in eodem libello explicatas legere poteritis.

#### Hortatiuncula.

I Llud uos, adolescentes optimi, ad extremum & oro & hortor, ut hoc qualemque officium meum uestra causa suscepimus ad gloriam dei, Reiq; publicæ utilitatem amplectamini, ac diligenter obseruetis.



19  
 Index rerum insignium, quæ superioribus  
 Capitibus Continentur.

- P**RÆFATIO causam continens, quamobrem Institutionum argumentum eo, quo fit, modo explicetur. char. 7.
- Quæ in exponendo Institutionum argumento observata sunt, & quibus rationibus. char. 7.
- Qua mente, quaç ratione Institutiones scriptæ fuerint. char. 8.
- De fructu, quem ex Iuris Institutionibus petere nos conueniat. char. 9.
- De Institutionum ciuilium titulo. char. 9.
- Institutiones ciuiles, an Iustiniano falso adscriptæ fuerint. char. 10.
- Quid in Iuris Institutionibus tradatur, & quo ordine. char. 10.
- Rubricæ oēs primæ Institutionū partis. char. 11.
- Rubricæ oēs secūdæ Institutionū partis. char. 11.
- Rubricæ oēs tertiae Institutionū partis. char. 12.
- Philosophiæ diuisio, & ad quā ipsius philosophiæ partē Iuris Institutiones referri debeat. char. 13.
- Propositio, per quam dicitur de Iuris ciuilis libris deq̄ nonnullarum notarum interpretatione paucis agendum esse. char. 14.
- De Pandectis. char. 15.
- De Codice. char. 16.

- De Institutionibus. char. 16.  
 De nouellis Constitutionibus. char. 16.  
 De Consuetudinibus feudorum. char. 16.  
 Cur ea librorum Iuris ciuilis diuisio, qua passim  
     utimur, facta fuerit. char. 17.  
 Brevis explicatio abbreviaturarū (ut uocat) quæ  
     apud Iuris interpretes inueniuntur. char. 17.  
 Hortatiuncula. char. 18.

S V R G E T S V B




A V R E A P A X T O T O


M O N T I B A S O R B E.


BONONIAE APVD ANSELMVM  
Giaccarellum M D L.

ESTATE OF

in circa cognoscitur  
quod solum sed spuma  
et uolum et sanguis per  
cervicem inveniatur  
et sanguis ex se deinceps







A  
C  
R  
M  
G  
P  
I





